DE

GALACTORRHOEA.

ADDITA HISTORIA MORBI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD SUMMOS
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXXI. MENSIS AUGUSTI MDCCCLX
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUSTAVUS SCHWARZE,
GUESTFALUS.

OPPONENTIBUS:
A. KAYSER, DR. MED.
P. NOACK, DR. MED.
P. BENSBERG, CAND. MED.

GRYPHIAE,
TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

FILIUS.

Prooemium.

Inter omnes lactationis anomalias fortasse maxime valetudinem mulieris imminuit morbosque maxime periculosos allicit galactorrhoea. Praeterea acerrimae curae remediisque praesentissimis ita saepe resistit, ut medicus de ejus sanatione prorsus cogatur desperare. Quod optime intelligitur ex numero ac varietate curarum, quae et commendatae et adhibitae sunt. Ceterum hic morbus quam periculosus tam rarus est ita ut multis medicis occupatissimis fortasse nunquam copia fiat ejus observandi ar-

tisque medicae in ejus cura periclitandae. Itaque mihi videtur operae pretium esse ejusmodi casum, cujus cura initio hujus anni in chirurgica nostri nosocomii statione prosperrime cessit, brevibus verbis describere litterisque mandare, praesertim quum et processu et exitu multis numeris ab iis, quae hucusque nota sunt, exemplis differat.

Antequam tamen ad rem transeam, de galactorrhoea in universum disseram et exempla jam nota summatim adtingam, quo facilior sit nostri cum prioribus casibus comparatio.

Galactorrhoea.

Galactorrhoea, sive galactozemia, sive polygalactia sive sparganosis mammarum auctore Scanzoni definitur esse mammarum muliebrium secretionis anomalia posita in continuo ac diuturno defluxu lactis primo normalis, deinde vero diluti, seroso, caseino carentis. Exsistit praeterea mammarum muliebrium nimia secretio, quae tamen physiologica potius, quam pathologica est natura. Accidit enim mulieribus lactantibus, praecipue si sunt valido corpore beneque nutriuntur, ut febri ex lactatione orta atque irritatione lactandi copiosa lactis secretio nascatur simulque mammae non solum turgescant, sed etiam sua sponte saepe lac defluat. Huic autem statui facile et finis imponitur et omnes noxiae sequelae arcentur, dummodo mulierem frugaliter vivere et aquam potare raroque lactando irritationem nervorum minuere jubeas, atque lenem addas curam diaphoreticam.

Ab hac autem nimia secretione galactorrhoea ita differt, ut non solum multo diuturnio et copiosior sit defluxus, sed etiam secretum ipsum prorsus diversa sit natura.

Quod copiam secreti attinet. Hauk (Casper, Wochenschrift 1836 No. 27.) feminam juvenem commemo-

rat, cujus ex mammis magno arcu tanta lactis copia prosiluerit, ut brevi tempore complures aquales complerentur. Jam vero Naumann (Medicinische Klinik Vol. VIII. Pars I. pag. 645.) feminam narrat tanto lactis defluxu laborasse, ut lectus nocte perfunderetur lacte solumque madefieret. Item Nicolai (Pathologie Vol. II. pag. 3.) refert feminam quandam duos infantes et complures catulos nutrisse; praeterea quotidie aliquot sextarios lactis sua sponte ex mammis emanasse. Jam Hallerus (Elementa physiologica Tom. VII. P. II. pag. 25.) feminae mentionem facit, quae et infantem nutriverit et quotidie fere congiarium lactis spontaneo defluxu amiserit. De diuturnitate morbi Jacobson (Kausch, Memorabilien der Heilkunde 1829. September. pag. 109.) puellam observavit, quae postquam decimo sexto anno aetatis gravida esset brevi post partum rursus incepisset menstruare. Simul eam per biennium infantem lactasse, deinde natum esse lactis effluvium quatuorque annos dies noctesque perdurasse. Crebra sanguinis detractione postquam galactorrhoea remota esset, ortam esse et continuam ex mammis haemorhagiam et haematemesin. Pari fere temporis spatio fuit noster galactorrhoeae casus unaque cum intermissione quatuor mensium quatuor annos perduravit.

Denique Fr. Hochberger (Dissertatio inauguralis de galactorrhoea. Pragae 1835.) Pragae in Krombholtzii nosocomio refert mulieri accidisse, ut novem hebdomadibus post infantis a lacte depulsum simul cum catameniis oriretur profusa lactis secretio, quae per quatuor annos permaneret, viresque mulieris summopere debilitaret.

Sedes mali plerumque mamma utraque est ut in exemplis supra prolatis, interdum tamen etiam alterutra, ut in nostro et eo quod Hennemann refert (Beiträge meklenburgischer Aerzte I. 2.), ubi feminam narrat jam complures menses lactasse quum dextra quidem mamma exaruerit, sinistra tamen adeo lacte compleretur, ut quamvis magnam lactis copiam continuo profunderet, tamen semper turgeret.

Aetiologia.

Quamquam in casibus singulis perdifficile est, causam dispicere galactorrhoeae, interdumque nulla potest inveniri, attamen ex plerisque, quae allata sunt, exemplis videtur mihi colligendum esse, anomaliam illam plerumque ex immodica et diuturna mammae nervorum irritatione originem trahere, Nervorum enim irritatione crescit copia sanguinis affluentis et ita augetur lactis secretio, quae quoniam irritatio plerumque aliquantum temporis perdurat, facile incipit perennare, quapropter fieri potest, ut etiam remota irritatione nervorum non statim consistat, sed potius per longius temporis spatium remaneat. Ejusmodi autem mammarum irritatio in plurimis casibus demonstrari potest, plerumque enim mulieres galactorrhoea laborantes aut complures simul infantes nutriunt, aut unum per nimium temporis spatium, quamquam negari non potest, utrumque saepe adfuisse, neque tamen ad galactorrhoeam perduxisse. Interdum etiam inde galactorrhoea videtur pendere, quod et papillae flaccidiores sunt, et lac dilatius est, quam quod ne sua

sponte defluat, impediatur. Hic ergo mihi videtur causa esse vitiosa omnino innervatio et corporis nimia ad lac secernendum inclinatio. Ejusmodi exempla Busch (Neue Zeitschrift für Geburtskunde. Vol. V. Fasc. 2. pag. 272.) affert duo narratque mammas nunquam fuisse tentas et lactis quantumcunque secerneretur, statim defluxisse ita ut spatio quatuor sexve horarum duo sextarii lactis emanarent.

Jam vero ad causas galactorrhoeae enucleandas maximi est momenti ea, quae inter uterum et mammas intercedit ratio. Est enim multis numeris uterus mammarum antagonista, id quod post unumquemque partum normalem observari potest. Qua de re Hohl (Med. chirurg. Encyclopaedie. Vol. XIII. S. 94.) ita disserit: „Wir beobachten in der That bei gesteigertem Leben der Brüste herabgesetzte Thätigkeit des Fruchthälters, sowie Verminderung der Thätigkeit der Brüste bei erhöhter Lebensstimmung des Fruchthälters. Das Leben der Brüste erhebt und erhöht sich, wenn das des Fruchthälters sinkt, daher denn auch die Lebendigkeit der Milchdrüsen nach der Entleerung und während der Rückbildung des Uterus antagonistisch erhöht und auf den höchsten Gipfel gesteigert wird. Wenn nun aber die Thätigkeit des Uterus zu früh oder zu schnell erlischt, so kann es geschehen, dass das Leben der Milchdrüsen übermässig bethätigt wird, und dass die dem Organismus gleichsam zur Gewohnheit gewordene Ausscheidung durch die Milchdrüsen selbst nach Entwöhnung des Kindes fortdauert, so dass die Mutter einen solchen Aufwand an Bildungsstoff nicht ertragen kann, vielmehr unterliegen muss."

Haec sententia eo confirmatur, quod in plerisque exemplis supra prolatis mulieres parva fuerunt facultate concipiendi, quoniam quum galactorrhoea laborarent tres quatuorve anni peracti sunt, priusquam iterum conceperunt.

Denique non raro galactorrhoea inflammationem mammarum sequitur (Fuchs. Nosologie und Therapie. Vol. II. pag. 304.)

Aliter omnino de causis galactorrhoeae sentit J. Frankius, qui propter majorem sacchari lactis copiam in secreto inventam galactorrhoeam consimilem esse existemet diabetae melliti. Quod utrum a veri similitudine abhorreat, annon dijudicent alii.

Inveniuntur autem exempla, quibus earum quas protuli causarum nulla omnino dispici possit. Hic nihil restat, nisi ut auctorem Scanzoni sequamur atque galactorrhoeam propter mammarum cum pelvis genitalibus consensum, ad hyperaemiam menstrualem, irritationem genitalium, excessus venereos aliaque ejusmodi revocandam esse censeamus, quae sententia exemplo illo ex Krombholtzii nosocomio allato confirmari videtur.

Inclinare in hunc morbum maxime videmus mulieres debiles et irritabiles aut leucophlegmaticas et pastosas (Fuchs). Fieri potest ut galactorrhoea, quamquam perraro, oriatur jam in graviditate, attamen saepius accidit, ut brevi post partum aut etiam aliquanto post infantis a lacte depulsionem incipiat.

Morbi symptomata et decursus.

Galactorrhoeae sunt diversa symptomata. Nonnunquam enim morbum antecedunt mammarum tumor dolor-

que, interdum etiam febris, saepe autem galactorrhoea tam lente adrepit, ut quando inceperit, vis determinari possit. Sensim enim lactis et copia et natura mutatur, mammarum hyperaemia congestiva corporisque totius debilitatio vix adest. Initio lac quum nondum mutatum sit, ipsum quidem ad alendum infantem est idoneum, attamen multas molestias atque etiam periculum affert, quia lenissima sugendi compressione facta magna vi erumpit et infanti animam potest intercludere.

Morbo ingravescente generalia succi jacturae profusae signa oriuntur: anaemia et hysteria, digestionis molimina, vertigo, dolor capitis, lipothymiae, spasmi, corporis infirmitas ac macies. Porro propter contínuum lactis defluvium facile perfrigescunt mammae excitanturque molestissimi articulorum dolores. Postquam morbus per longius temporis spatium duravit, ad reliquas molestias saepe accedit febricula juncta cum oris ariditate et faucium, siti molesta calida aridaque cute insomnia simul cum magna reliquarum secretionum omnium tarditate. Sic res sensim redit aut ad tabem nutricum aut, id quod saepius accidit, ad tuberculosin pulmonum.

Praeterea galactorrhoea adducuntur perpetuae haemorrhagiae atque haematemesis ut in eo quod ab Jacobsono allatum est exemplo; deinde animi aegrotationes insanabiles, stupor animi, caecitas variaeque hallucinationes. Etiam osteomalaciam cum variis sceleti contorsionibus vehementis galactorrhoeae et comitem et sequelam fuisse constat. (Scanzoni).

Usitatissima denique galactorrhoeae sequela est menstruationis defectio et sterilitas aut certe concipiendi

facultatis deminutio, videturque ut ita dicam procreandi studium totum a systemate uterino in mammas translatum esse.

Natura secreti initio quidem, ut jam dixi, nihil ab norme exhibet, postea vero sensim immutatur; lac antea album in caeruleum colorem transit fitque serosius, caseinum in dies minuitur, crescit albuminis copia et sacchari lactis. Tali lacte infantem bene nutriri non posse facile est ad intelligendum. Itaque infans hac lactatione sensim macescit continuoque stomachi et intestinorum catarrho laborat, ac nisi succurritur, mortem postremo occumbet.

Diagnosis.

Una exstat lactationis anomalia, quae initio potissimum aliquam cum galactorrhoea similitudinem praebeat. Quae quum et secreti natura et diuturnitate secretionis a galactorrhoea differat, diagnosis differentialis facilis est ad instituendum. Lactis enim defluxus si in mulieribus validis beneque nutritis ac statim post partum vel post infantis a lacte depulsionem ortus est, ita tamen, ut lactis natura non sit immutata et frugaliore victu lenique diaphoresi breve post tempus sedetur, persuasum tibi habeas, hanc esse nimiam secretionem auctamque quidem, sed tamen legitimam mammarum functionem. Attamen lactis defluxus si in muliere debili atque irritabili parceque vivente postquam brevi post partum vel infantis depulsionem incepit, curae supra indicatae restitit per longumque tempus manet et caseinum sensim in lacte minuitur, saccharum lactis autem augetur omninoque lac

fit serosius, tum galactorrhoeam adesse certo judicare poteris.

Prognosis.

Ex iis quae supra dicta sunt, satis intelligi potest, quanta gravitate ac periculo sit galactorrhoea propter diuturnitatem atque resistentiam. Medico, si quo modo contingit, ut initio secretionem minuat, plerumque bonum morbi exitum praedicere licet.

Tum enim sperare licet, fore ut redeunte menstruatione totum malum removeatur. Attamen si lactis defluxus reversa menstruatione restat eadem copiositate, spes exigua, maximum periculum est. Qua de re ait Scanzoni.

Nicht immer liegt es in der Macht des Arztes, die nachtheiligen Einwirkungen des profusen Säfteverlustes auf den Gesammtkörper oder einzelne Organe desselben zu beheben und díese Folgezustände sind es zunächst, welche bei der Stellung der Prognose die besondere Beachtung des Arztes verdienen.

Sin autem jam perniciosae sequelae adductae sunt adestque aut anaemia aut fortasse jam tabes lactantium, aut haematemesis, aut phthisis pulmonum, tum vero iniquissimum mali exitum fore judicandum est, praesertim si omnia remedia in cassum ceciderunt.

Therapia.

Quum galactorrhoeae curae propter morbi pertinaciam perraro bene successerint, non est cur miremur, tam multas et diversas medendi rationes et adhibitas et commendatas esse. In curando morbo primum cavendum

est, ne spissis vestibus crebraque lactatione languor ac dilatatio ductuum laciferorum adjuventur; deinde ut paullatim infans a sugendo desuefiat. In singulis casibus nunc constitutio aegrotae viresque, nunc morbi causae respiciendae sunt. Mulieribus robustis ac validis ad sanandam galactorrhoeam vulgo vena secta est ita tamen, ut neque major esset venaesectio neque nimis saepe iteraretur nisi si celeriter defluxus sedaretur (Pitschaft, Müller). Quamquam haec quidem cura in isto genere non ita prospere cessit. In illo certe, quod Jacobsonius attulit exemplo intra octo dies utriusque brachii et pedis, dexterae manus, frontis, auris venae sectae sunt nulla cum utilitate; quin immo galactorrhoea in mammarum haemorrhagiam commutata est accessitque haematemesis.

Praeter venaesectionem complures viri docti (Rowles, C. A. W. Berends, Hoffmann et alii) remedia leniter diuretica et purgantia commendaverunt. Petrequin (Bulletin géneral de thérapeutique méd. et chirurg. Tom. X. Livr. I. 1836) narrat, mulierem viginti sex annos natum post primum partum simulac sudaverit, ex dextera mamma turgida aliquantulum lactis emisisse, post alterum vero partum quamquam non lactaret mulier, ex utraque mamma tumida ac dolente tantum lactis effluvium ortum esse, ut aegrota quasi tota maderet, quam galactorrhoeam se diureticis sedasse. Inter ejus generis remedia imprimis natron sulfuricum et tartarus natronatus a C. A. W. Berends laudantur. Praecipue autem cavendum est, ne haec remedia per longius temporis spatium adhibeantur atque aegrotae vires potissimum respiciendae sunt; augetur enim his remediis succi jactura, quae si modum ex-

cessit, facile pro sanitate mors allicitur. Idem praedicandum est de sudationibus assis (Dampfbäder), quae ab nonnullis auctoribus valde commendatae sunt (Petrequin, Ritter, Lefèvre, Wendt, Wolf et ab aliis). Nam etsi fortasse saepe contingit, ut galactorrhoea secretione vicaria sedetur, tamen fieri potest, ut postquam secretio illa desiit, galactorrhoea iterum reveniat. Ejus generis est, quod refert F. Amelung, (Hufeland, Journal der praktischen Heilkunde. Berlin 1828. Mai. pag. 70) ubi galactorrhoea postquam salivatione magnis hydrargyri chlorati mitis dosibus excitata sedata est, salivatione remota multo vehementior rediit. His omnibus quam maxime repugnat exemplum quoddam galactorrhoeae litteris consignatum planeque inexplicabiles difficultates praebet. Melitsch enim (Meissner's Frauenkrankheiten. Bd. II. Abthlg. 1. S. 431) quum mulier lactans quae febri bilioso laborabat, vehementi diarrhoea correpta lactare pergeret vidit galactorrhoeam nasci, quam etsi mulier a lactatione abstineret, tamen non prius evanuisse, quam diarrhoea remota esset.

Omnium secretionum vicariarum menstruatio optima est, cujus reditu galactorrhoea saepe sua sponte evanescit. Propterea omnes auctores ad illum sanandum morbum mensium revocationem summopere commendant (Busch, Hohl, Sanzoni etc.) Huc maxime spectant aquae tepidae aspersiones in vaginam (warme Douchen), irritantes pedis lavationes, sanguisugauem ad portionem vaginalem applicatio et remediorum drasticorum parvae doses, si aliunde non contraindicantur. Porro remediorum derivantium et commendata et adhibita haec sunt:

Vesicatorii ad brachium, sinapismorum ad femora, cucurbitarum inter scapulas applicationes, omnino irritantium unguentorum infrictiones in plurimas corporis partes.

Languor ductuum galactophororum si causa morbi est, adhiberi possunt remedia adstringentia, quamquam quidem hoc curandi genus raro medelam attulit. Hic magna utilitate est frigus remediorumque adstringentium imprimis commendantur: rad. ratanhiae (Nauche), herba salviae (v. Swieten), et acidorum maxime laudantur: acidum aceticum (Duemichen, Serenus) acidum sulfuricum dilutum (Busch) quo remedio postremo hic auctor duas galactorrhoeas inveteratas sedavit.

Ad frigus excitandum lavationes frigidae imprimis commendatae sunt (Jörg, Siebold, Mager). Jam antea instillationes aquae frigidae factae sunt non sine prospero successu (David).

Speciatim galactorrhoeae adversari creduntur cicuta et camphora et extrinsecus et intrinsecus applicatae. Cicutae externus usus commendatus est imprimis a d'Outrepont, Hilscher, Benedict, Hoffmann. Quorum auctorum consiliis herba cicutae recenter expressa in mammas imponitur aut sicca in cataplasmatum formam redigitur, aut emplastrum cicutae virosae imponitur. Internus cicutae usus et adhibitus et commendatus est a Gudet et Gebel. Gebel extracti cicutae altera quaque hora granum dimidium valde profuisse observavit. Cum cicuta herba hyoscyami et ad internum et ad externum usum a nonnullis auctoribus juncta est. Ad usum internum Thaer hanc potissimum formulam commendat:

℞. Hydrargyr. muriat. mit. gr. Vi.
Extract. hyoscyam. ℈j.
Extr. conii macul. ℈β.
Pulv. rad. rhei ʒβ.
M. f. pil. Nro. XXX. D. S. täglich 2 Stück.

Ad usum externum Nolde haec praesoribit:

℞. Emplastr. de hyoscyam. ℥i.
Empl. de cicuta.
Ol. cham. cocti āā ℥β.
M. f. emplastrum.

Camphorae usus jam dudum est notus, nam emplastrum ex diachylo simplici et camphora compositum jam a Zacharia, Platnero (Inst. chir. p. 61.) Ludovico (Inst. clinic. p. 482.) commendatum est. M. E. A. Naumann camphorae usum internum hunc probat:

℞. Camph. gr. j.
Cactor. gr. jV.
Sach. alb. ℈i.
M. f. pulv. disp. tal. dos. Nro. XII.
D. S. täglich 3—4 Pulver und dabei viel Selterwasser zu trinken.

Idem hoc remedium modo commendat iis aegrotis, quae nondum febri hectica pulmonibusque laborent. Extrinsecus camphora ita adhiberi potest, ut aut sacculis linteis inclusa mammis imponatur aut in emplastri formam redigatur. Hujus generis est emplastrum Rustaingianum, quod constat ex lithargyro, oleo olivarum, cera flava, oleo terebinthino, aloe, radice corydalidio et camphora. Hoc emplastro usus est Chrestien |satis pro-

spero successu (De la méthode iatroliptique etc. Montpellier An. XII. 3.).

Praeterea extant aliquot remedia, quorum aliud ab alio auctore spectatum esse contenditur. Sic Theden (Chir. Bemerkungen Vol. II. pag. 257.) commendat linimentum volatile tepidum infrictum, Busch mammarum panno serico cerato obductionem, Stark suffitiones sacchari. Quae suffitiones ita instituuntur, ut saccharum in carbones candentes injectum cremetur, fumoque inde nascente lino xylino tenero excepto linum mammis imponatur.

Internus iodi usus est quidem a multis auctoribus laudatus, sed adhuc non satis est experimentis spectatus ita ut quid contra galactorrhoeam valeat, certo dijudicare non possimus.

Galactorrhoea si jam longius provecta totam valetudinem debilitavit atque anaemiae chlorosisque signa effecit imprimis videndum est, ut corpus totum rursus corroboretur. Hic ordinanda sunt alimenta multi cibi et ad concoquendum facilia, simul aegrota est jubenda ruri versari utique remediis amaris, imprimis chinae ferrique praeparatis. Berends hic pilulas ex quassia, myrrha et ferro sulphurico, Kluge et Nicolai pilulas ex chinae extracto, ammonio hydrochlorato ferrato et alumine compositas laudant. Quae remedia si adhibentur videndum est, ne concoctio sit impedita. Hujus generis remediis sanationem esse effectam, demonstratur exemplo, quod refert Haukius, qui bonis cibis, extracto chinae et ammonio hydrochlorato ferrato galactorrhoeam sedavit. Inter ferri praeparata porro ferrum phosphoricum lauda-

tur (Williams, Venables, Ronander). Praeterea a Scanzonio commendatur potio aquae leniter ferratae (schwacher Eisensäuerling) ac si morbus jam longius provectus est, usus aquarum marinarum et salsarum (See- und Soolbäder).

Si febres, sudores debilitantes et diarrhoeae accesserunt, remediis modo laudatis omissis, acida adhibenda sunt, quae in ejusmodi affectionibus usui maximo esse constat. Hic Naumann chinam cum acidis conjunctam commendat.

Denique si galactorrhoea pendet ab immodica nervorum irritatione, multum saepe prosunt remedia narcotica, e quibus plerique auctores opium magnis dosibus ordinandum commendant. (Petrequin, Prout, Darwin, Heineken aliique). Nonnulli contra belladonnae majorem galactorrhoeae sedandae vim inesse putant (Evers, Columbat). Columbat in mammas infricare solebat mixturam ex:

Aqua laurocerasi ʒjj.
Extract. bellad. ℈jj.
Aeth. sulfuric. ℥j.

compositam.

Novum medendi rationem invenit Krombholtz (Fr. Hochberger, Dissert. supra citata), qui cura morborum ductus Stenoniano et canalis lacrymalis ad Kali caustici solutionem injiciendam adductus est prosperrimo cum eventu. Curam suam hoc modo instituit: Lacte, quod erat in mammis, expresso siphonis Anelii liquore Kali caustici diluti (gr. I. ad ℥j.) completi tubulum in ductum galactophorum, aut si complures lac profundebant, in om-

nes deinceps immittebat atque solutionis injiciebat fere drachmam dimidiam. Post injectionem aegrota semper inter mammas et axillas dolorem vehementem punctioni ac ustioni similem sentiebat. Injectione aliquoties iterata, galactorrhoeae ne vestigium quidem remansit. Ductus lactiferi ne coalescerent, cereoli cerati immittebantur. Scanzonio auctore pro Kali caustici solutione etiam solutio argenti nitrici vel tinctura iodi injici potest.

Idem, quod hae injectiones, valent perpetuae mammarum aegrotantium compressiones. Jam Reilius (Fieberlehre III. 396.) in mulieribus gravidis, si lac ad mammas confluebat suaque sponte effluebat, quam maxime poterat, leniter et aoquabiliter mammas comprimebat id quod ita efficiebat, ut linteas capsulas specie haemisphaeriorum formatas et intrinsecus lino xylino munitas mammis imponere ac fasciis vestimentisque adstrictis affigeret. Quibus tamen instrumentis aliisque similibus facile carere possumus, ex quo nuper Seutinii ligatura glutinosa et quae majori etiam usui est ligatura gypsata inventa est. Quamquam haec quidem interdum ne adhibeatur impedire potest nimia mammarum aegrotarum sensibilitas. Attamen si res se ita habet, ut ligatura gypsata ferri possit, equidem illam commodissimum et certissimum remedium esse ad galactorrhoeam sedandam, prosperumque eventum quem in nostro exemplo vidimus, solam ad illam revocandum esse existimo.

Loricae instar illo totum thoracem concludit, cavenda autem est nimia ejus adstrictio, omninoque videndum, ne id quod facile fieri potest, excoriationes excitentur. Simul cum hac ligatura frigoris usus facile conjungitur.

dummodo spiritum vini vel aetherem sulfuricum instilles, etiam remedia adstringentia insuper in sinum mammarum infundi possunt.

Postquam igitur brevibus verbis de galactorrhoeae natura curaque disputavi, e re esse arbitror, quem hic observavimus casum describere, paucisque quomodo ab reliquis differat disserere.

Historia morbi.

Maria S. operaria viginti septem annos nata, Zingstensis propter diuturnam galactorrhoeam a. d. III. Cal. Mart. 1860 in chirurgicam nosocomii Gryphiswaldensis stationem recepta est.

Anamnesis.

Aegrota antea semper, ut ipsa ait, bona fuerat valetudine Decimo sexto aetatis anno primi apparuerunt menses ac deinde legitimis quatuor hebdomadum intervallis redibant. Omnes semper complures dies interdum etiam hebdomadem durabant cum exigui tamen sanguinis defluxu. Nupta est viginti annos nata primaeque graviditatis tempus ita peregit ut neque alicunde laborarit neque mammarum abnormem ullam mutationem senserit. Partu legitime facto, aliquot diebus post femina in laeva mamma sensit id quod ipsa „Einschuss“ vocat et mammae tumorem parvumque dolorem. Accessit continuae eadem mamma lactis destillatio. Dextera mamma mutata non fuit, breve tantummodo post partum tempus, si comprimebatur, lacteum liquorem secernebat, deinde exaruit. Quae quum ita essent, femina per quatuor hebdomades infantem laeva mamma nutriebat magna cum molestia, quum utraque mammarum pa-

pilla paene prorsus esset retracta. Tum in ore infantis soor apparuit et in matris mammam vicinasque partes transiisse fertur, ita ut mater infantem lacte depellere cogeretur. Lactis tamen secretio non desiit sed continua destillatio per quatuor annos usque ad dimidiam alteram graviditatem remansit. Aliquamdiu post infantis a lacte depulsionem menstruatio rediit eodemque ut antea modo sine ulla molestia iterabatur. Post alterum partum normaliter factum eadem laevae mammae affectio apparuit et viginti hebdomades usque ad hoc tempus perduravit. Menses nondum redierunt.

Status praesens.

Aegrota satis valida corporis est statura atque pro diuturnitate morbi perbona valetudine. Mammae quamquam omnibus partibus expressae tamen flaccidiores sunt quam tumidiores neque inspicienti ullam inter se exhibent differentiam, nisi quod continuo ex laeva mamma humor liquidus lacti similis, qui est acidulo putrescentis lactis odore. Propter hunc continuum lactei liquoris defluxum sinitrae mammae vestimenta perpetuo madent. Praeterea sub mamma nata est intertrigo. Alioquin abnorme quidquam animadverti non potest.

Aetiologia.

Quamquam multae sunt causae, quibus galactorrhoeam exitari constat, hic tamen praeter fortasse soorem brevissime finitum nulla ejus modi reperiri potest. Itaque nihil aliud reliquum est nisi ut hanc galactorrhoeam ex hyperaemia menstruali irritationeque genitalium originem traxisse existimemus.

Diagnosis.

Lactis nimiae secretiones sunt duae, quarum una exhibet lac vulgare nec abnorme brevique solet finiri, qualem ne hic accipiamus, prohibet et defluxus diurnitas et abnormis secreti lactis natura

Alter nimiae secretionis modus, quam potissimum galactorrhoeam vocamus, cognoscitur tum ex defluxus continuitate atque temporis diuturnitate interdum etiam annorum, tum ex abnormi secreti lactis natura. Primo enim albus, postea vero dilutus et serosus caseinoque destitus liquor lacteus secernitur. Utrumque quum in aegrotam nostram cadat, nihil restat, nisi ut eam galactorrhoea laborare praedicemus.

Prognosis.

Apud aegrotam nondum orti sunt morbi, qui galactorrhoeam sequi soleant quin immo mulier et corpore et animo bene se habet, praeterea et corporis robore et aetate floret, ne maciei quidem ullum signum exstat. Itaque quin therapia praesenti morbus brevi tollatur, non est cur dubitemus.

Therapia.

Primo aegrotae involutio mammae applicabatur leni cum compressione, addebantur cataplasmata frigida. Compressioni inde a Cal. Mart. irrigationes spiritus vini copiosi adjungebantur. Hac tamen cura lactis secretio non minuta est. Compressio ut aequabilior esset atque diuturnior, Nonis Mart. utraque mamma compressis oleatis tecta magna ligatura gypsata admota est, quae

loricae instar thoracem totum circumdabat. Hujus loricae gypsatae pars pectoralis et dorsalis utrinque fasciis junctae sunt. Refrigerandi causa e regione laevae mammae thorax gypsatus aethere sulfurico inspergebatur; via directa autem ut adstringeretur glandula secernens, in sinum mammarum solutio colophonii (℥j ad spirit. vin. ℔i) pone ligaturam gypsatam infundebatur. Ligatura gypsata initio bene ferebatur secretique nihil extrorsum penetrabat. Diebus tamen sex peractis ligaturam tolli opportuit, quum in fovea axillari excitatae essent excoriationes.

Itaque rursum involutiones fasciarum lintearum instituebantur, quae quotidie mutabantur. Praeterea concentratae acidi tannici solutiones adhibebantur. Secretio, quae statim post ligaturae gypsatae remotionem perquam minuta erat, hac cura augebatur. Propterea quum ex ante diem XIV. Cal. April. nihil nisi irrigationes spiritus vini adhiberentur, in melius inclinabat morbus et defluxus valde comminuebatur. Qua cura per octo dies non intermissa galactorrhoea desiit ac nisi gravi compressione aliquantulum lactei humoris e mamma exprimi non poterat.

Ante diem III. Cal. April. post quatuor hebdomadum curam mulier sana dimissa est et jussa domi aliquamdiu mammas fasciis involvere et si rediret defluxus, concentratum quercus glandium decoctum extrinsecus adhibere. Ex nuntiis postea allatis mulier optime se habet, menses etiam redierunt; aliquamdiu mammas involvere pervexit nullumque morbi vestigium remansit, quapropter hanc galactorrhoeam prorsus sanatam esse accipiendum est.

Epicrisis.

Si cum reliquis, quae literis innotuerunt galactorrhoeae exemplis nostrum comparamus, multa, quibus ab illis differat, invenimus. Primum quod ad aetiologiam pertinet plerumque certas reperimus causas, quibus galactorrhoea excitari potuerit.

Inter has primo loco ponenda est mammarum nimis crebrae vel diuturnae lactationis irritatio. In nostra tamen aegrota hujus generis immodica mammarum irritatio dispici non potest, nisi forte quis soorem illum ab infante in matrem translatum aliquid ad irritandum valuisse putet. Qui tamen quum brevi post remotus sit, vix credere licet, tam leni ac brevi irritatione morbum tanta vehementia tantaque pertinacia excitatum esse. Ne illud quidem hic suspectari potuit, galactorrhoeam nihil aliud esse ac mammarum functionum exaggerationem quandam factam cum deminutione uterinae vitalitatis. Namque aliquamdiu post partum menstruatio redierat et legitime iterabatur, id quod in plerisque casibus reliquis non est obervatum.

Etiam symptomatum et decursus apparent maximae differentiae. Vulgo enim mamma utraque aegrotat, hic vero quod rarissime fit, altera exaruit, altera autem defluxum lactis ostendebat.

Plerumque etiam hoc morbo mammae immutantur aliquo modo, quum aut flaccescant, aut tumescant aut compressae doleant, aut nodi in parenchymate glandulari palpatione deprehendantur. In nostro tamen exemplo neque intuitu neque palpatione quidquam reperiri potuit, quod a sana mamma differret. Jam vero decursus maxime diversam ab aliis speciem praebuit.

Namque quum galactorrhoea complurium annorum fere semper vires mulierum infringantur, vulgoque totius nervorum systematis conturbatio, torpedo sensuum, insanabiles animi aegrotationes, tabes lactantium, tuberculosis pulmonum et deinde mors sequantur, nostram aegrotam quum quartum jam annum galactorrhoea laboraret, et corpore et animo satis bene se habere invenimus. Corporis habitus optimus erat, cibi normalis appetentia, concoctio facillima. Omnio toto morbo mulier non affecta videbatur, nisi quod moleste ferebat madorem vestimentorum perpetuum lactisque putridum odorem. Quae quum ligatura gypsata remota essent; aegrota semper hilari animo visuque erat, optimeque sese habere confirmabat.

Curae denique et ratione et successu exemplum nostrum insigne fuit. Inter remedia adhibita irrigationes spiritus vini et ligaturae gypsatae applicatio potissimum mihi visae sunt effecisse, ut tam cito tamque plane morbus opprimeretur.

Continuam mammarum compressionem quamquam jam antea remedium esse galactorrhoeae cognitum erat, tamen in exemplis quae innotuerunt medici in ea fiduciam non collocarunt, id quod insufficientia potissimum ligaturarum factum esse opinor. Ex quo autem ligatura gypsata et inventa et experientia spectata est, equidem hac ligatura effectam compressionem inter omnia remedia maxime ad galactorrhoeam sedandam valere existimo. Etsi enim Krombholtzii injectionis ratione forsitan citius adsit successus, tamen si omnia respicimus, ligaturae gypsatae applicatio praeferenda sit. Primum enim ipsa, praesertim quum mulieres omnino pectus vestibus adstrictis vincire

soleant, nihil molestiae affert, deinde id quod majus est nullum excitat dolorem. Injectiones quum medico molestae sunt, tum vero aegrotam vehementibus doloribus vexant. Porro ligatura gypsata, quae in hoc morbo molestissima sunt, statim removentur, madorem dico perpetuum vestimentorum putridumque odorem; deinde sensim aegrota reconvalescit vixque se aegrotare animadvertit. Quae omnia de altera medendi ratione praedicare non licet. Quodsi denique in exemplo nostro jam sex diebus post ligaturae applicationem morbum paene evanuisse respicimus ne celeritate quidem hanc curam aliis cedere confitendum est.

Ex hac igitur paucorum verborum disputatione jure mihi videtur colligendum esse, ad sanandam galactorrhoeam ligaturam gypsatam, praesertim si accedant irrigationes spiritus vini, optimum commodissimumque esse remedium.

VITA.

Natus sum Gustavus Schwarze die XXVIII. mens. Maji a. h. s. XXXVI. in vico Guestphaliae Westbevern patre Carolo, matre Anna e gente Brinkmann, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium adii Monasteriense, quod per quatuor annos frequentavi. Maturitatis testimonio munitus auctumno anni LVI, Bonnam me contuli ubi ab Ill. Deiters t. t. Rectore magnifico civibus acadamicis adscriptus apud Ill. Simrock t. t. gratiosi philosophorum ordinis Decanum maxime spectabilem nomen professus sum. Post unum semestre litteris philosophicis adhibitum ab Ill. Wutzer, gratiosi medicorum ordinis Decana maxime spectabili in album facultatis medicae relatus sum. Post quatuor semestria auctumno anni LVIII. Gryphiam petii ubi ab Ill. Haeser, Rectore magnifico civibus academicis adscriptus, apud Ill. Budge t. t. Decanum maxime spectabilem nomen professus sum.

Disserentes audivi:

Bonnae:

Ill. Knoodt: de logice.

Ill. van Kalker: de psychologia.

Ill. Plücker: de physice.

Ill. Bergemann: de chemia.

Ill. Naumann; de encyclopaedia et methodologia medicinae.

Cel. Schaaffhausen: de anthropologia.

Ill. Treviranus: de botanice.

Ill. Troschel: de zoologia.

Ill. Noeggerath: de mineralogia.

Exp. Caspary dux mihi fuit in demonstrationibus et excursionibus botanicis.

Ill. Helmholtz: de anatomia speciali, de physiologia; idem dux mihi fuit in exercitationibus anatomicis.

Ill. Weber: de anatomia speciali, idem mihi dux fuit in exercitationibus anatomicis.

Cel. Albers: de materia medica; de formulari, de pathologia generali et semiotice.

Ill. Kilian: de arte obstetricia.

Ill. Busch: de chirurgia theoretica.

Gryphiae:

Ill. Schultze: de anatomia pathologica systematis nervosi; de anatomia et physiologia comparata.

Ill. Budge: de anatomia organorum sensuum; idem dux mihi fuit in exercitationibus anatomicis.

Cel. Laurer: de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Cel. Eichstedt: de exercitationibus obstetriciis in phantomate instituendis,

Cel Grohé: de anatomia pathologica speciali; idem dux mihi fuit in exercitationibus microscopicis; de morbis organorum sexualium.

Exp. Ziemssen: de morbis cutis, de syphilide, idem in exercitationibus practicis de diagnostice physica dux mihi fuit.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi.

Exp. Liebermeister: de pathologia et therapia morborum exanthematicorum acutorum.

Ill. Bardeleben: de chirurgia, de akiurgia, de ossium fracturis et luxationibus, de ophthalmiatrice, de morbis capitis chirurgicis, idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus institutis.

Ill. Niemeyer: de pathologia et therapia speciali, de morbis organorum uropoëticorum, de morbis psychicis.

Ill. Haeser: de medicinae historia, de morbis epidemicis.

In clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Bardeleben, in medico Ill. Niemeyer et Ill. Ruehle, in obstetricio Ill. Pernice duces mihi fuerunt humanissimi et benevolentissimi.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina, chirurgia arte obstetricia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Morbi psychici in distincta genera dividi non possunt.

II.

Medicamenta in arte obstetricia fere nihil valent.

III.

Dura mater adultorum nihil nisi involucrum cerebri est.